



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LXXXIV. Die Markgrafen Johann und Otto bestätigen, daß sie die Petricapelle auf der Burg an den Bischof überlassen haben, am 13. Octbr. 1254.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

prepositi et capituli Brandenburgensis iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas eorum et Brandenburgensem ecclesiam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possident aut in futurum iustis modis prestante domino poterunt adipisci, sub beati Petri ac nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, possessiones, domos et alia bona ipsorum, sicut ea omnia iuste et pacifice possident, eis et per ipsos eidem ecclesie auctoritate apostolica duximus confirmanda. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus episcopum, prepositum, capitulum et ecclesiam supradictos non permittas super hiis contra protectionis et confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Datum Mediolani, VII Id. Aug., pontificatus nostri anno nono.

Nach dem Originale.

LXXXIV. Die Markgrafen Johann und Otto bestätigen, daß sie die Petricapelle auf der Burg an den Bischof überlassen haben, am 13. Octbr. 1254.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Johannes et Otto, dei gratia Brandenburgenses marchiones, omnibus in perpetuum. Facta preterita sepius recitata et in scriptis redacta magis elucescunt et memorie hominum, que labilis est, imprimuntur, si scripturarum testimoniis roborantur. Hinc est, quod notum facimus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus universis, quod nos jam dudum capellam in Brandeborch et redditus, attinentes ad eandem, venerabili in Christo patri, domino Gernando, bone memorie episcopo Brandenburgensi, ad usus episcopales contulimus. Et ut cavillatoribus quibuslibet volentibus episcopos, qui pro tempore fuerint, super cappella ipsa in prejudicium nostre donationis indebite molestare, malignandi janua precludatur, hanc nostram donationem iteravimus, immo potius donationem jam dudum factam in persona venerabilis patris, domini Ottonis, Brandenburgensis episcopi, declaravimus ad instantiam precum ipsius, ipsam capellam ipsi integre cum suis redditibus conferendo, ut tam suis quam suorum successorum usibus perpetuo perseveret. Datum Seiesere, anno domini M^o. CC^o. quinquagesimo quarto, III. Nonas Octobris.

Nach dem Originale.

LXXXV. Der Cardinal Peter bestätigt dem Bischofe von Brandenburg die Schenkung der Petricapelle, am 17. November 1254.

Venerabili in Christo patri, dei gratia episcopo Brandenburgensi, Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad velum aureum diaconus Cardinalis, apostolice sedis legatus, salutem in domino. Exhibita nobis uestra petitio continebat, quod nobiles viri, marchiones Brandenburgenses cappellam in Brandeborg ad eorum dominationem spectantem, vobis ad usus episcopales liberalitate pia et provida concesserunt, prout in eorundem litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem nobilibus pie et provide factum